

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ tertiâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXIII.

M°. JOANNE-BAPTISTA LANGLOIS,
Mri. JOANNIS-BAPTISTÆ ELIE DE LA POTERIE, vices gerente, Doctore Medico, Præside.

An redeunte Vere citò redeat Convalescenti sanitas?

I.

PRÆCIPITI cursu labuntur tempora; rapido solis motu metiuntur & dies & horæ: hujus exacto celeriter orbe revolvitur annus. Sed hic dum fugam properat, unus non est illius tenor. Sol etenim à quo dimanant vitæ flumina, easdem terræ regiones benigno non semper

* Propugnata anno 1729.

recreat aſpectu : hinc pro variis anni temporibus variæ apparent univerſi facies tempeſtatum nomine deſignatæ. Aſt harum cœli mutationum impatiens non eſt viventium genus, diverſas quoque ſubit viciſſitudines, diverſis afficitur modis. Æſtas fervida cuncta corripit, aret ager, ſitientes moriuntur herbæ. Tum in ſcenam prodit Autumnus inſalubris, qui humiditate & inconſtantiâ ferox, quas ingenti cum apparatu è gremio deprompſerat & oſtentaverat opes natura, abripit & dilacerat. Mox aſpera regnat Hyems; rigent arva, penetrabile frigus adurit plantas, nullæ aut herbæ campis apparent aut frondes arboribus, latet informis humus aggeribus niveis & alto gelu ſepulta. Tandem ſolvitur acris hyems gratâ vice Veris & favoni, nec prata canis albicant pruinis. Jam redeunt grata Veris tempora. Sol tepenti lumine rigentes refocillat terras, convaleſcit natura, exhilaratur, repueraſcit.

I I.

VERE novo qui modo lugebat, nunc ridet univerſus orbis : Quæ gelu induratæ ſquallebant terræ, nunc lætis diſtinguntur coloribus. Non alios primâ creſcentis origine mundi illuxiſſe dies, aliumque habuiſſe tenorem credideris.... mundi natalia feſtivis diebus naturam celebrare diceres. Luxuriat omne vegetabilium genus. Exultant omnes animalium familiæ. Vere alma Venus colitur, Venerem genus omne volantum ſentit.... Vere tument terræ, genitalia ſemina poſcunt. Tum Pater omnipotens fæcundis imbribus, æther, conjugis in gremium latæ deſcendit & omnes, magnus alit magno commixtus corpore fruges. Avia tum reſonant avibus virgulta canoris. Parturit almus ager zephirique tepentibus auris laxant arva ſinus.... inque novos ſoles audent ſe gramina tutò credere, nec metuit ſurgentes pampinus auſtros, ſed trudit gemmas, ſed frondes explicat omnes.... & lentæ texunt umbracula vites.... Vere novo lætis pubeſcunt floribus arva.... floret odoratis terra benigna roſis.... tunc omnis ager, tunc omnis parturit arbos, tunc frondent ſilvæ, tunc formoſiſſimus annus.

I I I.

NON minori cum imperio in hominum corpora dominantur tempeſtatum vices : ſuos quoque patiuntur affectus. Delicatiorem illorum fabricam inclementis cœli viribus reſiſtere parem ne credas. Æſtate igneus calor urit præcordia & artus depaſcitur, fibrarum remittitur tonus, perit ſua fluidis conſiſtentia, ſubtilis nimiùm rariorque ſanguis vetitos & devios lymphæ canales errando ſubit & longiùs progredi impotens ſtagnat, corrumpitur; ſic graſſantur inflammatio, gangræna, ſphacelus. Nimio œſtu evolvuntur humorum principia, acre-

dinem concipiunt, vasa corrodunt & irritant; hinc febrium putridarum terris incubat cohors. Humidâ Autumni temperie madefactæ resolvuntur fibræ. Humore jam satis imbutus aër humidos corporis halitus ægrè & invitus excipit. Hinc præpeditâ perspiratione effetisque fibrarum viribus vitalis languet motus, tabis, hydropis, melancholiæ infelix prodromus. Exhalanda materies modò hærens in vasis diro partes excrutiat rhumatismo; modò quâ datâ portâ ruens vergit ad intestina dysenteriam, diarrhæas excitatura. Adest Hyems: frigore rigescunt fibræ, condensantur humores, præcluduntur cutis spiracula. Quid indè? furit tempestas periculorum plenissima; serosa aggeritur colluvies, quæ intra vasa coercita sævit. Coryśâ & gravedine nares, fauces raucedine corripit, bronchiorum glandulas infarciendo pulmones tussi fatigat, ipsius halitibus præcludendo vias aut dolosam invehit peripneumoniam notham, aut pulmonalem phtisim clam serpentem suscitat, articulos torquet doloribus. Jam verò quis te tantis agitatum procellis excipiet portus? certam ex Veris reditu salutem expecta, nec spem Convalescentis decipiet dudum cognita erga omnem naturam Veris benignitas & clementia.

I V.


ERGO-NE dum redeunte Vere omnis revivíscit natura, solus homo frigesceret? eò-ne devenerit gentis humanæ calamitas, ut dum aliarum tempestatum injuriis gravissimis mulctatur affectibus, illius tempestatis quæ omnium benignissima est, non recrearetur adventu? levia quæ convalescentem stipant symptomata, renascentis Veris facilè parebunt imperio capescentque fugam. Convalescentem exercent fastidiosæ morborum proles languor & tædium: vires votis impares ipsum sæpè defraudant, ambulaturus procedit? Subripiunt se se corpori pedes: thalamo decumbentem somnus diu fugit; efflagitatos respuit cibos: expostulata amicorum colloquia imbelles fatigant aures: sed in tenui res est. Macte animo, & cuncta Veri perficienda committe. Vere quem inspiras aër, non nimio infectus humore, sed benigno rore madens rigentes emollit fibras; concretos eliquat humores; frigore nec pulmonis nec cutis spiracula constringuntur: avolantes non reprimuntur particulæ nec nimio calore retinendæ dissipantur. At tepido Veris calore humores fluxiles evadunt, non nimium rarefacti: flexiles redduntur fibræ, non resolvuntur. Reserantur incernicula; viget secretionum opus, inutiles noxiæque partes foras amandantur; jam defæcatior sanguis spiritus animales non ut ante, vappidos & effetos parcè subministrat, sed vividos, sed generosos qui affatim & copiosè in omnes corporis partes influentes ipsas vitali motu perfundunt, & exoptatæ sanitatis reddunt participes.

V.

NEC satis. Id omne aut dulce aut utile quod in omnem naturam benigna refundunt Veris tempora, in hominis Convalescentis emolumentum cedit. Innubila cœli facies puroque ridens lumine, pulsis aquilonibus lenè spirantes zephiri Convalescentis exhilarant sensus, animumque blandè afficiunt. Campi herbis & floribus latè gratum odorem spargentibus variegati balsamicis halitibus salubriorem efficiunt aëris usuram. Convalescentem piget de die inertem domi stare: Audet patenti se committere aëri; crastinâ die citiùs exiturus tecta subit quasi invitus; mox omnia delibatus exercitii commoda, esurit: arridet palato cibus: juniores herbæ non grave stomacho facescunt negotium: animalia delicarionibus suavioribusque alimentis pasta delicatiorem & suaviorem suppeditant succum. Tum lecto componitur: ultrò somnus advolat, & altâ quiete profundit artus. Sic suæ ipsi citò restituuntur vires. At morbi tenaciores reliquiæ hærent corpori? ipsa quoque Ver excutiet: si totum tabe fuerit affectum corpus aut pars aliqua graviori labe tentata, vaccæ, capræ, asinæ ubera Pharmacopolarum pixidibus potiora Vere porrigunt: si crassior lentescensque sanguis aliqua infarserit viscera, aquæ ab ipsâ naturâ medicatæ, quibus cum reduce Vere redit energia, votis cumulum addent. Sed ne nos Veri nimiùm blandiri putes; sui sunt & Veri morbi, sed ni speciali miasmate inficiatur aër, plerique salubres habendi; sæpè etenim sunt naturæ conamina quæ nedum lædent naturam ipsam expediunt.

Ergo redeunte Vere citò redit Convalescenti sanitas.

Proponebat Parisiis, ANTONIUS-PETRUS DEMOURS, Parisinus, Regis Christianissimi Medicus ocularius designatus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,
A. R. S. H. 1783. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1783.